



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MBAIKENSIS\*** IN REPUBLICA AFRICAE MEDIAE  
NOVA CONDITUR DIOECESIS MBAIKENSIS Ad efficacius consulendum aeternae spirituali saluti atque regimini  
Christifidelium in Republica Africae Mediae degentium, nuper est petitum ut e divisa archidioecesi Banguensi nova  
constitueretur Ecclesia. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro  
Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris  
Didaci Causero, Archiepiscopi titulo Metensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, admotae postulationi concedendum  
esse putaverunt. Nos igitur de universi Dominici gregis bono solliciti talem sententiam ratam habentes, summa  
Apostolica potestate haec decernimus. Ab archidioecesi Banguensi separamus territorium Praefecture civilis patrio  
sermone nuncupatae «Mbaiki»; ex eoque novam condimus dioecesim *Mbaikensem*, quam metropolitanae Ecclesiae  
Banguensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea  
iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Mbaiki » atque templum ibidem extans, Deo in honorem sanctae Ioannae d'Arc  
dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae  
praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Didacus Causero, quem diximus, quique, re acta, curabit  
documenta exaranda sincerisque exemplis ad memoratam Congregationem cito mittenda. Hanc denique Apostolicam  
Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum*  
*Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus*  
*Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 11, pp. 986-987 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana